

visei, justitiasque respuere, dolores quoque ac detrimenta contemnere, tanquam quotidie moriturum. *Joan. Cass. lib. 5.*

26. Hæc apud Ægyptum est ab antiquis patribus sancita sententia: operantem monachum dæmone uno pulsari: otiosum vero innumeris spiritibus devastari. *Ib.*

27. Monachi sibi claustra faciunt, quibus homo exterior teneri possit, sed utinam claustra facerent, quibus homo interior ordinate teneretur. *Hugo de claustr. anim. lib. 1.*

28. In choro sum corpore, et aliquo negotio mente, nunc intus maneo, nunc foris exeo: aliud canto, et aliud cogito: psalmodiæ verba profero, et psalmodiæ sensum non attendo: sed mente vagus, habitu dissolutus, oculis attonitus, huc et illuc prospiciens, quæcumque ibi geruntur, perlustro et perspicio: habitum monachi, non conversationem habens, in magna corona et ampla cuculla salva mihi omnia existimo. *Hugo lib. 1 de anim.*

29. Ordo claustrum et ordo curiæ divisus est. Ibi sedes in insidiis, cum divitibus in oculis, ut interficias innocentem: hic audis: non sedi cum consilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo. Ibi insidiaris, ut rapias pauperem: rapere pauperem, dum attrahis eum: hic dicis: Odio ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebam. Ibi dextera tua repleta est muneribus: hic lavas inter innocentes manus tuas. Ibi laudatur peccator in desiderio animæ suæ, et iniquus benedicitur: hic benedicitur Deus. Si vis esse monachus curialis, laudas quod non debes, defendis quod non expedit, operaris quod non licet, loqueris quod non decet. *Hugo de 12 abutitionib.*

30. Si monachus es, quid facis in turba? Si amas silentium, cur declamantibus assidue interesse delectaris? Tu semper jejuniis et fletibus insistere debes, et tu philosophari quæris? Simplicitas monachi philosophia ejus est. Sed docere, inquis, alios volo: non est tuum docere, sed plangere. Si tamen doctor esse desideras, audi quid facies: vilitas habitus, tui et simplicitas vultus, innocentia vitæ, et sanctitas conversa-

tionis tuæ docere habent homines. *Hugo de claustr. anim. lib. 2.*

31. Solitaria sane vita, cœlestis doctrinæ schola est, ac divinarum artium disciplina. *Pet. Rav.*

Vide etiam in tit. Acedia, núm. 2. in tit. Honor, n.º 4. in tit. Ornatus, núm. 16. in tit. Religio, et Sacerdos, n.º 1. 5.

### MORS.

1. Omnis gloria Dei et omnis salus hominum, in Christi morte constituta sunt. *Joan. Chry. et Aug.*

2. Mortis diem omnes affuturum sciunt: eum tamen omnes, aut pene omnes differre conantur, etiam qui post mortem se beatus credunt esse victuros: tantam habet vim carnis et animæ dulce consortium. *Aug. de grat. novi test.*

3. Mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit: neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur ipsam mortem. *Aug. st. de civ. Dei. lib. 1.*

4. Prima mors animam pellit volentem á corpore, secunda mors animam nolentem tenet in corpore. *Ibidem.*

5. Ita diviti fuit cura pro vivis, quamvis quid agerent, omnino nesciret, quemadmodum nobis cura est pro mortuis, quamvis quid agant utique nesciamus. *August. de cura pro mort.*

6. Fateandum est nescire mortuos quid hic agatur, scilicet dum hic agitur: possunt vero audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt, non quidem omnia, sed quæ sinuntur judicare, quæ sinuntur etiam ista meminisse quæ illos quibus ista indicant, oportet audire. Possunt et ab Angelis, qui rebus, quæ hic aguntur, præsto sunt, audire aliquid mortui: quod unumquodque illorum audire debemus, indicat, cui cuncta subjecta sunt. *Ibidem.*

7. Vocatur ante tempus boni, ne diutius vexentur á noxiis: mali vero et impii tolluntur, ne diutius bonos persequantur. *Aug. li. de vita Christian.*

8. Nescis qua hora veniat; semper vigila, ut quod



nescis, quando veniat, paratum te inveniat, quum venerit: et ad hoc forte nescis quando veniat, ut semper paratus sis. *August.*

9. In quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies: quoniam qualis in die isto moritur, talis in die illo iudicabitur. *August. ad Dioscor.*

10. Vigilare debet omnis Christianus, ne eum imparatum inveniat Domini adventus. Imparatum autem inveniet dies ille, quem imparatum inveniet suæ vitæ ultimus dies. *Ibidem.*

11. Nunquam si longe est dies iudicii, longe est dies tuus: unde scis, quando est? Nonne multi sani dormierunt, et obdormierunt? Nonne casus nostros nobiscum in hac carne portamus? Nonne fragiliores sumus, quam si vitrei essemus? vitrum enim etsi fragile est, tamen servatum diu durat. *August. in serm.*

12. Timor de futura morte mentem necessario conculit, et quasi clavus carnis omnes motus superbiæ ligno crucis affigit. *Aug. li. 2. de doctrin. Christian.*

13. Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies, sero parantur remedia, quum mortis imminet pericula. *Aug. in quadam epist.*

14. Quid est mors? relictio corporis, depositio sarcinæ gravis: sed si alia sarcina non portetur, qua homo præcipitetur in gehennam. *Aug. super Joannem.*

15. Nihil sic revocat à peccato, quam frequens mortis meditatio. *Aug. lib. exhort.*

16. Bene unusquisque de die novissimo formidare debet: quia unumquemque in quo invenerit suus novissimus dies, quum de hoc sæculo egreditur, talis in die novissimo iudicatur. *August. in epist.*

17. Qui desiderat dissolvi, et esse cum Christo, non patienter moritur: sed patienter vivit et delectabiliter moritur. *Aug. super epist. Joan.*

18. Non potest male mori, qui bene vixerit: et vix bene moritur qui male vixit. *August. de doctrin. Christian.*

19. Nihil interest utrum abjures depositum, an

doleas restitutum: in utroque fidei ambiguum vitæ periculum est. Quid tam secundum naturam, quam referre gratiam auctori? Non amitti, sed præmitti videntur, quos non absumptura mors, sed æternitas receptura est. *Ambr. lib. de excess. frat.*

20. Nudi omnes nascimur, nudi morimur: nulla distinctio inter cadavera mortuorum, nisi forte quia gravius foetent divitum corpora, distenta luxuria. *Ambr. in hexam.*

21. Platonis sententia est, omnem sapientum vitam meditationem esse mortis: debemus et nos igitur præmeditari, quod aliquando futuri sumus: et quod, velimus, nolimus, abesse longius non potest. *Hier. in epist. ad Heliod.*

22. Memento mortis tuæ, et non peccabis. Qui se quotidie recordatur esse moriturum, contemnit præsentia, et ad futura festinat. *Hier. Cyp.*

23. Non est nostrum mortem arripere, sed illatam ab aliis libenter accipere. Unde et in persecutionibus non licet propria manu perire. *Hier. super Jonam.*

24. Inter eum, qui decem vixit annis et illum qui mille postquam idem finis vitæ advenerit, et irrecusable mortis necessitas: transactum omne tantundem est, nisi quod magis senex onustus peccatorum fasce proficiscitur. *Hieron. ad Heliod.*

25. Ad hoc autem conditor noster latere nos voluit finem nostrum, diemque nostræ mortis esse incognitum, ut dum semper ignoratur, semper maximus esse credatur: et tanto quisque sit ferventior in operatione, quanto et incertus est de vocatione: ut dum incerti sumus quando moriamur, semper ad mortem parati debeamus venire. *Greg. lib. 12. moral.*

26. Interdum contingit justis, ut in morte suæ sanctorum præcedentium visiones aspiciant, ne ipsam mortis suæ sententiam pœnalem perlimescant: sed dum eorum menti civium æternorum societas ostenditur, à carnis suæ copula sine doloris et formidinis fatigatione solvantur: aliquando in consolatione egredientis animæ, ipse apparere solet auctor et retributor vitæ. *Greg. lib. 4. dialog.*



27. Quam venerit, et pulsaverit: quia de sua spe et operatione securus est, confestim pulsanti aperit: quia lætus judicem susinet, et quum tempus propinqua mortis agnoverit, de gloria retributionis hilarescit. *Gregor. in hom.*

28. Antiquus hostis ad rapiendas peccatorum animas tempore mortis, crudelitatis effrenatur violentia, et quos vivos blanditiis deceperit, morientes se verius rapit. *Greg. lib. 6. moral.*

29. Sic mors ipsa quum venerit, vincitur: si prius quam veniat semper timeatur. *Greg. in ho. Sint lumi vestri.*

30. Quasi sub hoste, quem prosternit, moritur, qui de culpa, quam superat, elevatur. *Gregor. in moral.*

31. Quid est vita mortalis, nisi via? et qualis sit fratres mei perpendite. In labore via latescere, et tamen eandem viam nolle finire. *Greg. in ho.*

32. Qui considerat qualis erit in morte, semper pavidus erit in operatione, atque inde in oculis sui Conditoris vivit. Nihil quod transeat, appetit: cunctis vitæ præsentis desideriis contradicit, et pene mortuum se considerat: quia moriturum se minimè ignorat. Perfecta enim vita, est mortis meditatio, quam dum iusti sollicite peragunt, culparum laqueos evadant. *Greg. lib. 12. moral.*

33. Justorum animæ levibus quibusque contagiis ipso sæpè mortis pavore purgantur, et æternæ retributionis gaudia jam ab ipsa carnis solutione percipiunt. Plerumque vero contemplationis internæ etiam prius quam carne spolientur, hilarescunt: et dum vetustatis debitam solvunt, novi jam muneris lætitia perfruuntur. *Greg. lib. 24.*

34. Mors justorum, bonis est in adiutorium, malis in testimonium: ut inde perversi sine excusatione pereant, unde electi exemplum capiant, ut vivant. *Greg. super Matth. 10. In test. illis. etc.*

35. Horam ultimam idcirco Dominus noster nobis voluit esse incognitam, ut semper possit esse suspecta: ut dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione properemus. *Greg. in ho.*

36. Sicut hi, qui adhuc viventes, animæ mortuorum quo loco habeantur, ignorant: ita mortui, vitam in carne viventium, post eos qualiter disponantur, nesciunt. *Greg. in moral.*

37. Lachrymarum causas quidem tripudiantes peragunt, et mortis suæ negotium ridentes exequantur. *Ibidem.*

38. In omnibus operibus tuis memorare tuæ mortis horrorem, iudicii tremendi valde discrimen, ardentis gehennæ metum ab oculis tui cordis elongari nullatenus poteris. Cogita peregrinationis tuæ miseriam: recogita annos tuos in amaritudine animæ tuæ, et cogita vitæ humanæ pericula. Cogita fragilitatem propriam, et in huiusmodi cogitatione si perseveraveris, dico tibi, parum senties quidquid foris videtur esse molestum, dum toto corde circa interiorem molestiam occuperis. *Bern. in quodam serm.*

39. Novissima sunt quatuor: mors, iudicium, gehenna, gloria. Quid horribilius morte? quid terribilius iudicio? quid intolerabilius gehenna? et quid jucundius gloria? *Bern. in ser.*

40. Miser homo, quare omni hora te non disponis? Cogita te jam mortuum, quem scis necessitate moriturum: distingue qualiter oculi vertentur in capite: venæ rumpentur in corpore, et cor scindetur dolore. *Ibidem.*

41. Quid in rebus humanis certius est morte, quid incertius hora mortis invenitur? Non miseretur inopiæ, non reveretur divitias, non sapientiæ, non moribus, non ætati denique parcit: nisi quod senibus mors est in januis, juvenibus vero in insidiis. *Bernard.*

42. Quam mihi me privares, ó austera mors, vitæ usu, quam fructu. Nam vita sine fructu, gravior est, quam mors. *Bern. super Cant.*

43. Bona mors iusti propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. E contra mors peccatorum pessima: mala siquidem in mundi amissione, pejor in carnis separatione, pessima in vermis ignisque duplici contritione. *Bern. in quadam epist.*

44. Pretiosa mors sanctorum, pretiosa plane lau-



quam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ janua, et perfectæ securitatis ingressus. *Ibidem.*

45. Nihil congruentius esse potest, quam ut mors operata sit mortem, spiritualis corporalem, culpabilis pœnalem, voluntaria necessariam. *Bernar. ad milites templi.*

46. Mors, munus necessarium est naturæ jam corruptæ, quæ non est fugienda, sed potius amplectenda: et iterum, fiat voluntarium, quod futurum est necessarium: offeramus Deo pro munere, quod pro debito tenemur reddere. *Chry. super Matth. 10. cap.*

47. Illi deplorandi sunt in morte, quos miseros infernus ex hac vita recipit, non quos cœlestis aula latificandos includit. *Isid. li. 5. de sum. bono.*

48. Et si pietas pro defunctis fidelibus flere jubeat: fides tamen pro eis lugere vetat. Multi enim vitam odio habent, et mori timeant, et vivendi habent tedium, et moriendi metum. *Ibidem.*

49. O durus et durior casus? heu quid perdidit homo, et quid invenit? Perdidit beatitudinem, ad quam factus est, et invenit mortem ad quam factus non est. Hodie venimus à patria in exilium, à visione in cœcitate, à jucunditate immortalitatis ad corruptionem mortis: misera conditio, gravis dolor, grave damnum, grave tormentum. *Ansel. in suis meditat.*

50. Percutitur hac animadversione peccator, ut moriendo obliviscatur sui, qui vivens oblitus est Dei. *Cæsarius in admont. 6. et August.*

51. Quis mortem temporalem metuat, cui æterna vita promittitur? Quis labores carnis timeat, quum se in perpetua requie noverit collocandum? *Cass. super Beati immaculat.*

52. \* Mortem omnibus horis impendentem timeant, quis tranquillo animo potest consistere? *Cicero.*

53. \* Qui mortem non timet, magnum is sibi præsidium ad beatam vitam comparavit. *Cicero. 2. Tuscu.*

54. \* Mors terribilis est iis, quorum cum vita omnia extinguntur, non quorum laus emori non potest. *Cicero. in Par.*

55. Natura nihil hominibus brevitate vitæ præstitit melius: tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties invocata morte, ut nullum frequentius sit votum. *Seneca.*

56. Nemo scit nostram, quam prope versetur Deus. Sic itaque formemus animum, tanquam ad extrema ventum sit. Venientem nemo hilaris mortem recipit, nisi qui se ad illam diu composuerit. *Sen. in extrema parte epistolarum epi. 12.*

57. Alia genera mortis spei mixta sunt, desinit morbus, incendium extinguitur, ruina quæ aliquem videbatur oppressura evadit quis, deposuit mare quos hauserat, eadem in qua sorbebat hora, projecit incolumes, gladium miles ab ipsa peritura cervice revocavit: nihil autem habet, quod speret, quem senectus ducit ad mortem. *Sen. epist. 20.*

58. Hic plus edit, ille minus: quid refert? uterque jam satur est: hic plus bibit, ille minus, quid refert? uterque non sitit. Hic pluribus annis vixit, hic paucioribus, nihil interest, si tam illum multi anni beatum fecerunt, quam hunc pauci. *Sen. epi. 88.*

59. Quum nullum ambulaveris, et diu redeundum est. Stultum est timere, quod non possis vitare: mortem non effugit, qui etiam distulit. Moriar nec primus, nec ultimus: omnes me antecesserunt, omnes sequentur: hac conditione intravi, ut exirem. *Ibidem.*

60. Nihil æque tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio brevis ævi et hujus incerti. Quidquid facies respice ad mortem. *Sen. 25. epist.*

61. Non refert quot annos habeam, sed quot acceperim. Si plus vivere non possum, hæc est mea senectus. Quicumque ad extremum sui fati venerit, hic moritur senex. *Senec. in epist.*

62. Omnis dies velut ultimus ordinandus est. De felicitate hominis ultimus dies judicial. *Ibidem.*

63. Quorundam vitam mors in medio flore præcidit: aliorum interrumpit ipsa principia: alius, inter cœnam dissolutus est: alterius continuata mors somno



est, aliquem concubitus extinxit. *Senec. 67. epist.*

64. Certum est vitam mortemque per vices ire, et composita dissolvi, et dissoluta componi. Omne humanum genus quodcumque est, quodcumque erit, morte damnatum est. Omnes, quæ usquequaque ponuntur urbes, ubi fuerunt, aliquando quæretur, et vano excidii genere tollentur: alias destruent bella, alias desidia, paxque ad inertiam versa consumit, et magnis opibus exitiosa res luxus. *Senec. 72. epistola.*

65. Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, et tunc quoque quum crescimus, vita decrescit. Infantiam amissimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam, usque ad hesternum: quidquid transit temporis, perit, hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte dividimus. *Senec. 42. epist.*

66. Si fines honorum ac malorum cognoverimus, ita demum nec vita lædio erit, nec mors timori. Si mors accedit et vocal, licet immatura sit, licet mediam præcidat ætatem, recipit nihilominus vitæ longissimæ fructum, cognita est illi ex magna parte natura, scilicet tempore honesta non crescere. *Senec. 79. epist.*

67. Unus dies hominis eruditi plus valet, quam imperiti longissima ætas. *Ibidem.*

68. Non affligitur sapiens liberorum amissione non amicorum: eodem enim animo fert illorum mortem, quo suam expectat. *Senec. 73. epist.*

69. Non me vixisse pœnitel, quoniam non ita vixi, ut non frustra me natum existimem: et ex vita ita discedo, tanquam ex hospicio, non tanquam domo: commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi dedit. *Sen. lib. de senect.*

70. Illi mors gravis incumbit, qui notus nimis, omnibus ignotus moritur. *Ibidem.*

71. Nullum majus solatium est mortis, quam ipsa mortalitas: nullum autem omnium istorum, quæ extrinsecus nos terrent, quam quod innumerabilia in ipso sinu pericula sunt. *Ibidem.*

72. Si volumus esse felices, si nec Deorum, nec hominum, nec rerum timore vexari, si despiciere for-

tunam supervacua promittentem et leviam minantem: si volumus tranquille degere et ipsis diis felicitate controversiam agere: anima in expedito est habenda. *Sen. de natural. quæst.*

73. Effice mortem tibi cogitatione familiarem, ut si ita sors tulerit, possis illi obviam exire. *Ibidem.*

74. O te dementem, et oblitum fragilitatis tuæ, si tunc times mortem, quum tonat! *Ibidem.*

75. Optimum est antequam optes, mori. Incertum est, quo loco mors te expectet: tu illam in omni loco expecta. Egregia res est mortem morte discere: quid ad illum carcer et custodia, et claustra? liberum habet ostium. *Sen. in epist.*

76. Satis multum temporis sparcimus, incipiamus vasa in senectute colligere: in freto viximus, moriamur in portu. *Ibidem.*

77. Ante senectutem curavi, ut bene viverem, in senectute, ut bene moriar: bene autem mori est, libenter mori. *Ibidem.*

78. Nullum magnum, quod extremum est. Mors ad te venit, timenda erat, si tecum esse posset, necesse est, aut non perveniat, aut transeat. *Idem de conceptu mortis.*

79. Recognosce exemplum eorum, qui domesticis insidiis perierunt, aut aperta vi, aut dolo. Intelliges non pauciores servorum ira cecidisse, quam regum. *Ibidem.*

80. Dolor levis est, si ferre possum: est brevis, si ferre non possum. Desinam ægrotare posse desinam alligari posse, desinam mori posse: non repente in mortem incidimus: minutatim procedimus, quotidie morimur, etc. *Ibidem.*

81. Ultima hora, qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat, tunc ad illam pervenimus, sed diu venimus. *Ibidem.*

82. Numerare eos noli, qui tibi metum faciunt. Nonne videtur stultus, si quis multitudinem eo loco timeat, per quem transitus est singulis? Æque ad tuam mortem nullis aditus non est, licet illam multi mi-



nentur. Spiritus unus tibi eripiet, quem unus dedit. *Sen. 29. epist.*

83. Inquietam nobis vitam facimus metu mortis, et tanta est hominum dementia, ut quidam timore mortis cogantur ad mortem. Firmandi sumus, ne nimis amemus vitam, et ne nimis oderimus mortem: et quum ratio suadet finire, sed non timere. Vir fortis et strenuus non fugere debet de vita, sed exire. *Sen. 24. ep.*

84. Bassus senex, si quid incommodi, aut melius in morte est, morientis vitium esse dicebat, non mortis: tam stultum esse qui mortem timeat, quam qui senectutem. Nam quemadmodum senectus adolescentiam sequitur, ita mors senectutem. Si timenda mors est, semper timenda est: quod enim tempus morti exemptum est? tu tamen mortem, ut nunquam timeas, semper cogita. *Sen. 30. epist.*

85. Illum lauda et imitare, quem non piget mori, cum juvet vivere: quæ enim est virtus, cum ejiciaris, exire. *Sen. 55. epist.*

86. Vix Lucili quantum satis erat mortem plenus vel lætus expecto. Numquam me caro ista compellit ad metum, numquam ob honorem hujus corpusculi mentiar. Fortes simus adversus fortuita, non contremiscamus injurias, non vulnera, non vincula, non egestatem: mors quidem est, aut finis, aut transitus, nec desinere timeo, nec transire, quia nusquam tam anguste ero. *Sen. 66. epist.*

87. Mors enim par est: per quæ venit, diversa sunt: in quod desinit, unum est. Mors nulla major, aut minor est. Habet enim eundem in omnibus modum: finisse vitam. *Sen. 67. epist.*

88. Optabilem rem existima bonam mortem: optimum est, memorabilem mori aliquo opere virtutis. Quum aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus utitur. *Sen. 68. epist.*

89. Si quis in mortem ante primos annos delatus est, non magis conqueri debet, quam qui cito navigavit. *Sen. 71. epist.*

90. Nihil melius aeterna lex fecit, quam quod unum

introitum nobis ad vitam dedit, multos exitus. *Ibidem.*

91. Nemo nostrum cogitat, quod quandoque sibi ex hoc domicilio exeundum sit. Veteres inquilinos indulgentia loci et consuetudo etiam inter injurias detinet. Vis adversus hoc corpus liber esse? tanquam migraturus habita: Propone tibi quandoque hoc contubernio carendum. Felicior eris ad necessitatem exeundi. *Ibidem.*

92. Nemo tam imperitus est, ut neciat sibi quandoque moriendum: tamen quum prope accesserit, tergiversatur, tremit et plorat. Quid fles miser? quid trepidas? omnes hac necessitate ducuntur: eo ibis quo omnia eunt. Ad hanc legem natus es, hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc majoribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te. Quantus te populus moriturorum sequetur, quaptus concomitabitur? fortior ut opinor, esses si multi tibi commorerentur: multa milia hominum hoc ipso momento, quo tu mori dubitas, animam variis generibus emittunt: an non pulabis te ad id aliquando perventurum, ad quod semper ibas? nulum sine exitu iter est. *Senec. 78. epist.*

93. Mors non est gloriosa, sed fortiter mori gloriosum est. Nemo mortem suam laudat, sed eum cujus mors abstulit animum. Interest utrum malitia illi, an virtus manum admoverit. Mors enim, quæ in Catone gloriosa est, in Bruto turpis et erubescenda. Cato illa honestissime usus est, turpissime Brutus. *Id.*

94. Massa per se nec calida, nec frigida, in fornacem coniecta concaluit, in aquam remissa, refrixit: mors honesta est, per id, quod honestum est, et animus extrema contemnes. *Ibidem.*

95. Quæ latebra est, in quam non intret melus mortis? quæ tam emunita, et in altum subducta vita quies, quam dolor non terret? *Sen. 57. epist.*

96. Nemo nostrum aliter, quam quomodo natus est, exit a vita: falsum est: pejores morimur, quam nascimur: nostrum istud, non naturæ vitium est: quid enim turpius, quam in ipso limine securitatis esse sollicitum? *Sen. 47. epist.*



97. Quotidie enim propius ab ultimo stamus, et illo, unde nobis cadendum est, hora nos omnino impellit. *Senec. in quadam epist.*

98. Stultum est somno delectari, mortem horrere, cum somnus assiduus sit mortis imitatio. *Sen. in lib. de moribus.*

99. Bis enim mori est, alterius arbitrio mori, cujus mortem amici expectant, vitam cives oderunt. Crimen relinquit vitæ, qui mortem appetit: dum est vita grata, mortis conditio est optima. *Senec. in Prov.*

100. Heu, quam timidus est, qui se moriturum putat! honesta turpitudine est mori pro bona causa: lex universa, quæ jubet nasci et mori: mori felicitatis est, antequam mortem invocet. Tolerabilior est, qui mori vult, quam qui male vivere. *Senec. in Prov.*

101. Non nocet bonis, si occidantur, vel subita morte rapiantur: non enim subito moriuntur qui semper se cogitaverunt morituros. Sive ergo ferro immolentur, sive à bestiis lacerentur, aut flammis vel undis immergantur: aut suspendantur, vel crura frangantur, vel quolibet alio infortunio moriantur, semper est pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus, ut dicitur: Quacumque hora justus moriatur, justitia ejus non auferetur ab eo, et ita mors non obest, imo multum prodest eis: quia si quid peccati contraxerunt per humanam fragilitatem, relaxantur per mortis acerbilatem. *Anselm.*

Vide etiam in tit. Amor, núm. 14 in tit. Charitas, núm. 18. in tit. Concupiscentia, núm. 5. in tit. Curiositas, núm. 36. in tit. Desperatio, núm. 3, 11. in tit. Divitiæ, núm. 26. in tit. Gloria vana, núm. 21, 25. in tit. Homo, núm. 4. in tit. Liberalitas num. 4. in tit. Miseria, núm. 3. in tit. Negligentia, núm. 7. in tit. Pœnitentia, núm. 13. in tit. Resurrectio, num. 2, 3, 25. in tit. Securitas, núm. 10, 13. in tit. Suffragium, núm. 6. in tit. Timor, núm. 8, 25. in tit. Vita, núm. 2, 8, 9, 12, 17, 19, 20, 21.

## MULIER.

1. De carnibus scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur: morbos aspides sibilant, et mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam: in risum aliquando dissolvitur: nunc blanditias exhibet, et quod est venosius, super cuncta, psallere delectatur, aut cantare: cujus cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. *August. in lib. de sin. cler.*

2. Memento Thamar, quæ ab Amon fratre suo corrupta fuit. Ubi unius est tabernaculi conversatio, carnis non facile tollitur delectatio. *Ibidem.*

3. Nihil esse sentio, quod magis ex arte deiciat animum virilem, quam blandimenta feminae, corporumque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest. *Aug. l. 8. Soliloq.*

4. Gravem inimicum sortita est castitas, cui non solum resistendum, sed dimisso fræno longius fugiendum: nec eo minus illæ fugiendæ sunt, quia religiosæ videntur, quando quanto religiosiores, tanto citius alliciunt, et sub prætextu pietatis latet viscus libidinis: experto crede: expertus loquor, coram Deo non mentior, cedros libani, duces gregum sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quam de Ambrosii, vel Hieronymi impudica turpitudine. *Aug. de cohabitatione clericorum et mulierum.*

5. \* Mulier nec docere potest, nec testis esse, nec fidem dicere, nec judicare, quanto magis non potest imperare? *Aug. in quæst. ex vet. Testam.*

6. Quanti et quales clerici simul et laici post confessionum, victoriarumque calcata certamina, post magna ac mirabilia usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, quum volunt in navi fragili navigasse? Quantos leones domuit una infirmitas delicata? quæ cum sit vilis et misera, de magnis efficit prædam, quod Salomon ait: Pretium meretricis vix est unius panis: Mulier autem pretiosas animas rapit. *Aug. ibi.*



7. Samson validus et fortis leonem suffocavit, sed amorem suum suffocare non potuit. Vincula solvit hostium, sed suarum non solvit nexus cupiditatum. Messes incendit alienas sed unius ipse mulieris accensus igniculo, messem suæ virtutis amisit. *Amb. lib. 1. de David.*

8. Viduarum ac virginum domus, nisi visitandi gratia, juniores adire non opus est, et hoc cum senioribus: hoc est, cum episcopo, vel si gravior causa est, cum presbytero. Quid neesse, ut demus secularibus obtrectandi locum? Quod si aliqua illarum forte labitur, cur alieni lapsus subeas invidiam? quanti non dederunt errori locum, et dederunt suspicioni? prima tentamenta clericorum, sunt fœminarum frequentes accessus: iste sexus reprehensibiles reddit clericos. *Ambr. lib. 1. de Offic.*

9. Fœminarum cum clericis nullo pacto conjuncta permittitur conversatio. Janua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nocivumque genus est fœmina: quum proximat, stimulat, ignem accendit, flammigero igne percuit conscientiam pariter habitantis, et exurit fundamenta montium. Si cum viris fœminæ habent, viscarium non deerit diaboli. *Ibidem.*

10. Si pudicam quæris fœminam, quam bene videris conversantem, mente dilige, non corporali accessu frequentes. Nemo miles cum uxore pergit ad bellum. Fœminæ cum viris habitantes germinant spinas, et arcana mentium acuto mucrone percutiunt. *Ibidem.*

11. Illud adverte, quod extra paradysum vir factus est, mulier intra paradysum, ut advertas, quod non loci, non generis nobilitas, sed virtute unusquisque sibi comparat gratiam: Denique extra paradysum, hoc est in inferiori loco, vir factus melior invenitur, et illa, quæ in meliori loco, hoc est, in paradiso facta, deterior invenitur. *Ibidem.*

12. Hospitiolum tuum, aut raro, aut numquam mulierum pedes terant: omnes puellas aut virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Vide ne sub eodem tecto manseris, nec in præterita

castitate confidas, nec Samsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone poteris esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecit. Unde ait quidam, Adam, Samsone, Petrum, David, Salomonem decepit mulier, quis modo tutus erit? *Hier. in epist. ad Nepot.*

13. De industria dissuta sit tunica, ut aliquid intus appareat: operitur, quod fœdum est, et aperitur, quod formosum est: crispanti cingulo angustum pectus arclatur: capilli in frontem vel in aures desluunt: palliolum interdum cadit ut candidos nudet humeros, et quasi videri noluerit, celat festina, quod detexerat volens. Aliud pollicetur, aliud ostendit: lingua personat castitatem, et totum corpus profert impudicitiam. Vix est ita turpis, aut senio confecta, quæ non gaudeat, et libenter audiat, si dicatur esse pulchra. Delectant castas etiam præconia formæ. *Hier. in epist. ad matrem et filiam.*

14. Novi ego quasdam jam maturioris ætatis et plerasque generis libertini adolescentibus delectari, et filios quærere spirituales, paulatim pudore superato, per ficta matrum nomina erumpere in licentiam maritalem. *Hier. ad Rust. mon.*

15. Matrem tuam ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hareant, et tacitum vivat sub pectore vulnus. Ancillulas, quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidiis: et quanto vilior est earum conditio, tanto facilior est ruina. *Ib.*

16. Joannes Baptista matrem sanctam habuit, Pontificis filius fuit, nec tamen patris opibus nec matris affectibus in domo parentum cum periculo castitatis manere voluit. *Ibidem.*

17. Nunquam de mulierum formis disputes, nec quid in cujusquam domo agatur, alia domus parte noveris: fœminæ nomen tuum noverint, vultum tuum nesciant. *Ibidem.*

18. Illa sit pulchra, illa sit amabilis, illa habenda inter socias, quæ nescit se pulchram esse, quæ negligit formæ bonum, et procedens ad publicum, non



pectus et colla denudat, nec pallio denudato cervicem aperit, sed quæ celat faciem, et vix uno oculo, qui via nuntius est, patente ingreditur. *Hieron. in epist.*

19. Uxorem pauperem alere difficile est: divitem ferre tormentum est. Quid prodest diligens custodia, cum uxor servari impudica non possit, pudica non debeat? Infida enim custos castitatis necessitas, et illa vere pudica dicenda est, cui licuit peccare, sed noluit. *Hier. cont. Jovinian.*

20. Pulchra cito adamatur, fœda facile concupiscit: difficile custoditur, quod plures amant. Molestum est possidere, quod nemo habere dignetur: minore tamen miseria deformis habetur, quam formosa servatur. *Ibidem.*

21. Nihil tutum est, in quo totius populi vota suspirant, alius forma, alius ingenio, alius facetiis, alius liberalitate sollicitat: aliquo modo expugnatur, quod undique incessitur. *Ib. et ponit. Theoph. in l. de nupt.*

22. Quid aliud est mulier, nisi amicitiae inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni colore depicta? Ergo si dimittere illam peccatum est, tenere autem vere tormentum est. Necesse est autem, ut aut dimittentes adulterium faciamus, aut tenentes quotidianas pugnas habeamus. *Chrys. super Matth. 19. Non expedit nub.*

23. Quid enim quis dicat, aut quomodo quis enaret mulierem illam crudelem malitiosam? Ego quidem existimo nullam esse in hoc mundo bestiam comparabilem mulieri malæ. Quid inter quadrupedia animalia leone sævius? sed nihil hac ferocius: quid in serpentibus dracone acrius? nec hic quidem cum muliere mala conferri potest. Nam leo et draco in malo inferiores sunt, Danielem leones in lacu verili sunt: iustum vero illum Naboth Jezabel interfecit, cetus Jonam in ventre custodit: Dalida Samsonem circumventum illecebris raso etiam capite deformatum alienige-

nis tradidit. Joannem Baptistam in deserto viventem dracones et aspides cornutæ subdita feritate tremuerunt: Herodias vero eidem caput abscidit, et tanti viri mortem in pretium saltationis accepit. O malum summum et acutissimum diaboli telum mulier? Per mulierem Adam ab initio in paradiso cecidit, mulier ipsum exterminavit. Per mulierem mitissimus ille David sui militis innocentis Uriæ epistolæ dolo occidendum hostibus præsentavit. Mulier sapientissimum Salomonem in prævaricationis sacrilegium præcipitavit: mulier fortissimum Samsonem rasil, rasumque excæcavit: mulier castissimum Joseph vinculis alligatum in carcerem trusit: mulier Joannem totius mundi caput capite truncavit. Quid dicam de hominibus? cum mulier angelos de cælo deposuerit, mulier malitia omnes posttravit, omnes jugulat, omnes interficit, omnes elidit: mulier impudens, nemini parcat, non levitam honorat, non sacerdotem reveretur, non prophetæ defert. O malum omni malo pejus, mulier mala! Sive illa pauper sit, sive dives, si facultates habet, cooperatrices sunt malitiæ suæ. O malum intolerabile, vipera irremediabilis, venenum insanabile, mulier mala! Si injuriam patitur, insanit: si honorem accipiat, extollitur: si potentis uxor sit, non cessat nocte ac die callidis stimulare sermonibus: blanditur nequiter: et quod vult importuna, rapit violenter. Si pauperem habeat virum, ipsum ad iracundias et rixas incitare non desinit: si vidua sit omnes passim despicit, et ad omnem audaciam superbiæ inflatur. Timor Dei non refrenat linguam suam, nec irata futuram judicium prospicit, nec ad Deum attendit. *Chry. in ser. decoll. Joan. Bap.*

24. Sicut per feminam hostis antiquus primos parentes seduxit: ita per mulierem ad magistrum negandum, quem filium Dei confessus fuerat, principem ecclesiæ compulit. *Rav. super ill. Matth. 26. Acces. ad.*

25. Quia enim in paradiso mulier propinavit viro mortem, a sepulchro mulier viris adnuntiat vitam: ut sicut occasione sexus muliebris fuit introductio mortis, ita hic ex pietate sexus muliebris nuntiatio



vitæ: ut quæ viro transfuderat culpam, transfunderet et gratiam. *Rav. super ill. Matth. 28. Nuntiavit discipulis suis.*

26. Scribit Herodotus: quod quum mulier cum veste deponit verecundiam, et quod sine veste gerit, quasi non fecerit, obliviscitur. Si quis autem testis adfuerit, ipsa tamen artificio linguæ cogit eum fateri non vidisse quod viderat: et quod verbis excusare non valet, hoc lachrymis excusat, blanditur oculis, seducit osculis, instat amplexibus. *Hugo in lib. ad socium volentem nubere.*

27. *Favus distillans labia meretricis, et nitidus oleo guttur ejus, etc.* In favo enim duo sunt, mel et cera: et in facie meretricis similiter duo, scilicet decor et gratia: hoc est, pulchritudo oris, et dulcedo sermonis: cera succendit ignem, mel præbet dulcedinem: sic pulchritudo meretricis igne libidinis inflammat carnem, blandimento vero lenocinantis sermonis subvertit mentem. Stillat mel et cera, dum meretrix verba sua mollit, et facit dulcia. Hanc dulcedinem æternæ mortis amaritudo comitatur: unde sequitur ibi: *novissima illius amara quasi absinthium, et acuta quasi gladius biceps.* Diligit mulier, ut capiat: decipit, ut rapiat: amat quod habes, non quod es. *Ibidem.*

28. Ait Cato Uticensis, si absque fœmina esset mundus, conversatio nostra non esset absque diis. Amice: Cato non nisi sensa et cognita loquebatur, nec quisquam fœminarum execratur ludibria, nisi lusus: nec pene conscius his fidem habere debet, nisi expertus: is noverat quod flos Veneris, rosa, et quod sub ejus purpura multi latent aculei. *Va. in epi. ad Rus.*

29. Amice, ne longo dispendio te suspendam, lege Aureolum Theophrasti, et Medæam Jasonis, et vix pauca invenies impossibilia mulieri. Amice, det tibi Deus omnipotens fœminæ fallacia non falli. *Ibidem.*

30. Quis muliebri garrulitati aliquid committit, quæ illud solum potest tacere, quod nescit? *Ibidem.*

31. \* Audax est ad omnia quæcumque amat vel odit fœmina: et artificiosa est nocere quum vult. *Ibidem.*

32. Viros ad unumquodque maleficium singulæ cupiditates impellunt: mulieres ad omnia maleficia cupiditas una ducit. Muliebrum enim vitiorum omnium fundamentum est avaritia. *Tullius 2. rhet.*

33. \* Mulieres facilius incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonum expertes ea tenent semper, quæ prima dejecerunt. *Tull. 3. de Orat.*

34. \* Mulier quæ vini usum immoderate appetit, et virtutibus omnibus januam claudit, et vitiis aperit. *Max. lib. 7.*

35. Aut amat, aut odit mulier: nihil tertium: de-discere flere fœminam, mendacium est. Duo genera lachrymarum habentur in oculis fœminarum: veri doloris unum, insidiarum aliud: mulier quum sola cogitat, mala cogitat. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in lit. Concupiscentia, núm. 4, 4. in lit. Conjugium, 26. in lit. Ebrietas, núm. 23. in lit. Ornatus et Resurrectio, núm. 23. in lit. Sacerdos, núm. 5. in lit. Societas, núm. 11.

## MUNDUS.

1. Mundus iste periculosior est blandus, quam molestus: et magis cavendus, quum se illicit diligi, quam quum admonet, cogitque contemni. *August. ad Dioscor.*

2. In hoc mundo non timere, non dolere, non laborare, non periclitari, impossibile est, sed plurimum interest, qua causa, qua expectatione, quo termino quisque patiat. *Ibidem.*

3. O amatores mundi, cujus rei gratia militatis? major non esse poterit spes vestra in mundo, quam ut amici mundi sitis. Ibi quid nisi fragile, plenum periculis, et per quot pericula pervenitur ad majus periculum? pereant hæc omnia, et dimittamus hæc vana, et inania: conferamus nos ad solam inquisitionem eorum, quæ finem non habent: vita hæc misera est: mors incerta subito obrepit, et post hæc negligentia: pœna supplicio luenda est. *Aug. lib. confess.*



4. Mundus transit, et concupiscentia ejus. Quid vis, utrum amare temporalia, et transire cum tempore, an Christum amare, et in æternum vivere? *Aug. super Ep. Joan.*

5. Ecce turbat mundus, et amatur: quid si tranquillus esset? formoso quomodo hæreret, qui sic amplecteris fœdum? Flores ejus quomodo colligeres, qui à spinis non revocas manum? *Aug. super Psal.*

6. Vincula hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. *August.*

7. Ecce ruinosus mundus est, et sic amatur, quid si dulcis esset? ò munde immunde, tenebris periens, quid faceres si maneres? quid faceres dulcis, si amarus alimenta metiris. *August. in quodam serm.*

8. Quam rarus in terris, qui possit dicere: portio mea, et quam alienus a viliis, et quam segregatus à labe peccati, qui nihil habeat commune cum seculo, nihil sibi mundi hujus vendicet, non sit corporalium possessio cupiditatum: quem non inflammet libido, non stimulet avaritia, non lascivia effœminet, non luxuria decoloret, non sternat ambitio, non maceret invidia, non aliqua negotiorum secularium cura sollicitet? *Ambr. super Psal.*

9. Discite in hoc mundo, supra mundum esse, et si corpus geritis, volitet in vobis ales interior. *Ambr. lib. de virgin.*

10. Sancti viri, quia nihil hujus mundi appetunt, proculdubio nullis tumultibus in corde premuntur. *Greg. in moral.*

11. Absit, ut fidelis quisque qui Deum videre desiderat, de mundi percussione lugeat, quem finire ejusdem suis percussione non ignorat. *Ibidem.*

12. Mihi mundus crucifixus est: quia nec Paulus mundi gloriam quærebat, nec à mundi gloria ipse quærebat, et se mundo et sibi mundum crucifixum esse gloriabatur. *Greg. lib. 5. moral.*

13. Ille hujus mundi veraciter mala sentit, qui

ejus bona inhiat, non appetit. *Greg. lib. 6. moral.*

14. Ecce mundus, qui diligitur, fugit. Sancti isti, ad quorum tumbam consistimus, florentem mundum mentis despectu calcaverunt: erat vita longa, salus continua, opulentia in rebus, sæcunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace, et tamen cum in se ipso floret, jam in eorum cordibus mundus aruerat. Ecce jam in se ipso mundus aruit: et adhuc in nostris cordibus floret. Ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio, undique percutimur, undique amaritudine replemur: et tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ, ejus amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus, et quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus. *Gregor. in hom.*

15. Non tenet mundum in amore, nec rursus in amore mundi tenetur, sed vicissim sibi utrique extincti sunt: quia dum alter alterum non appetit, quasi mortuus non attendit. *Greg. 4. Mor.*

16. Cui Christus incipit dulcescere, necesse est amarescere mundum. *Bern. in serm.*

17. Plenus est mundus spinis, quæ in terra sunt, in tua carne sunt: versari in his, et minime lædi, divinæ potentiæ est, et non virtutis nostræ. *Bern. super cantie.*

18. Mundus est, ubi malitiæ plurimum, ubi sapientiæ modicum, ubi omnia sunt viscosa, omnia lubrica, omnia operla tenebris et obsessa laqueis, ubi periclitantur animæ, affliguntur corpora, ubi omnia vanitas, et afflictio spiritus: et in Joele dicitur, *Confusum est gaudium à filiis hominum.* *Bern. in serm.*

19. Mundus clamat, ego deficiam, caro clamat, ego inficiam: diabolus clamat, ego decipiam, Christus vero dicit, Ego reficiam. *Bernar.*

20. Periculum probat transeuntium raritas, pereuntium multitudo. In mari Massiliæ de quatuor navibus non perit una: in mari hujus mundi de quatuor animabus, vix evadit una. *Ibidem.*

21. Habemus pro mari mundum, pro navi ecclesiam, pro velo pœnitentiam, pro gubernaculo crucem,



pro nauta Christum, pro vento spiritum sanctum.  
*Chrys. super Matth.*

22. In expletione Romani regni neccesse est seculum consummari. *Effrem. lib. 1.*

23. Fallax enim est hic mundus, finis dubius, exitus horribilis, iudex terribilis, pœna infinibilis.  
*Pet. Bles. Batonien. archidia.*

24. Amor mundi nos in fortunæ potestatem adducit: hic amissis liberis mœstus, hic sollicitus ægris, hic turpibus, et aliquam passis infamiam trislis: hanc imaginem animo tuo propone, ludos facere fortunam, et in hunc mortalium cætum, honores, divitias, gratias excutere: quorum alia inter diripientium manus scissa sunt, alia infida societate divisa, alia magno detrimento eorum, in quos devenerant, deprehensa. *Senec. in quad. epist.*

Vide etiam in tit. Abusio, núm. 7. in tit. Apostoli, núm. 23. in tit. Avaritia, núm. 48. in tit. Gloria vana, núm. 23. in tit. Gloria æterna, núm. 15. in tit. Homo, núm. 18. in tit. Justitia, núm. 22. in tit. Passio, núm. 9. in tit. Prælatio, núm. 64. in tit. Sapientia, núm. 11. in tit. Secularis, núm. 2. in tit. Simplicitas, núm. 3. in tit. Sollicitudo, núm. 4. in tit. Stultitia, núm. 3. in tit. Tentatio, núm. 5. in tit. Tribulatio, núm. 21, 24. in tit. Vita, núm. 9, 11, 12.

### MUNUS.

1. Libertatem arguendi amittit et peccat, qui ab eo accipit, qui ideo dat, ne corrigatur. *Ambr. in epi. ad. Cor. 1.*

2. Munera excæcant oculos iudicum, et vim auctoritatis inclinant. *Ibidem.*

3. Facile contemnitur clericus, qui sæpe vocatur ad prandium, et non recusat. Numquam petentes, raro accipiamus rogati. Nescio quomodo etiam ipse, qui deprecatur, ut tribuat, quum acceperis, viliozem te iudicat: et mirum in modum si eum rogantem contempseris, plus te post veneratur. *Hier. ad Marcell.*

4. Ante Dei oculos numquam est vacua manus á munere, si arca cordis plena sit bona voluntate.  
*Gregor. in hom.*

5. Non ex Abel muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt. *Gregor. lib. 12. Moral.*

6. Quis non erubescat dicere, quid mihi dabis ut tibi justitiam faciam? nonne simile est, ac si dicatur: quid mihi vullis dare, ut me ipsum abnegem, officium perdam, et Deum vendam? *Chry. ibid.*

7. Quò beatus Eugenius munera cautius abigebat, ad eum undique multiplicius consuebant: hoc quoque fere ubique accidit, ut fugiant, dum quæruntur: dum fugantur, accelerant. Cum idem prior quidam modicæ facultatis, cujus causam nondum audierat, marcam auri devotione multa instanter offerret, nondum, inquit, ingressus es domum, et jam vis corrumpere dominum: corruptionem namque vir sanctus credidit, quidquid offerebatur lite pendente. *Ibidem.*

8. Tres sunt munerum acceptiones, quibus contra justitiam humana vanitas militat, est favor amicitiarum, adulatio laudis, et corporalis acceptio muneris. Facilius autem pervertitur animus rei corporeæ munere, quam gratiæ laudisque favore. *Isid. de sum. bon. lib. 1.*

9. Oblatio enim muneris, tinea est regiminis. *Cass. in epistol.*

10. Peremptorium enim est in principe, vel auram adorare munerum, vel favorem quærere personarum, teste siquidem propheta, in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus. Transibunt iniquitates in pœnam et munera in dolorem, quia testimonio Job: *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* *Pet. Bles.*

Vide etiam in tit. Amicitia, núm. 28. in tit. Amor, núm. 22. in tit. Eleemosyna, núm. 25. in tit. Liberalitas, núm. 17, 19, 22, 26. in tit. Proditio, núm. 3. in tit. Tribulatio, núm. 2, 7.



**MURMUR.**

1. De nulla re magis Deum offendisse ille populus judaicus dicitur, quam contra Deum murmurando. *Aug. super Joan.*

2. Qui contra suprapositam sibi potestatem murmurat, liquet quod illum redarguit, qui eandem homini potestatem dedit. *Gregor. in Moral.*

3. Quisquis pro peccato percutitur, nisi murmurando renitatur, eo ipso jam justus esse inchoat, quo ferientis justitiam non accusat. *Ibidem.*

4. Si is, qui murmurat, secundum animam mortuus est, qui instigat, quomodo vivit? *Bernar. de consider.*

5. Animæ quæ sanæ sunt, portari non indigent, ac per hoc nec onus sunt: quoscumque igitur de tuis inveneris tristes, pusillanimes, murmurosos, ipsorum te patrem, ipsorum te noveris esse abbatem: consolando, exhortando, increpando agis opus tuum, et portas onus tuum, et portando sanas, quos sanando portas. *Ibidem.*

6. Disceat non murmurare qui mala patitur: etiam si ignoret, cur mala patitur. Per hoc quisque se juste pati arbitretur, quia ab illo judicatur, cujus nunquam injusta judicia sunt. *Isid. lib. 5. de sum. bon.*

7. Susurratio est, per quam odiosæ adulationis, vel derogationis sibilo quodam, alter in alterius odium excitatur. Susurrari est, inter amicos discordiam seminare. *Hugo.*

8. Qui contentiosus et murmurans extiterit, juxta arbitrium prioris tamdiu pœniteat, quamdiu culpæ qualitas extat. *Cypr. in quadam epist.*

Vide etiam in tit. Diabolus, 5.

**NATIVITAS.**

1. Aurum solvitur quasi regi magno, thus immolatur ut Deo, myrrha præbetur lanquam pro salute omnium morituro: habet enim prædicatores angelos,

narrantes cœlos, adoratores Magos. *Aug. in serm. de Epiphani.*

2. Nobilitas fuit Christi nascentis in virginitate parientis, nobilitas parientis in divinitate nascentis. *Aug. super Joan.*

3. Mihi enim impossibile est generationis scire secretum: mens deficit, vox silet: non mea lanquam, sed et angelorum: supra potestates, supra Cherubim, et supra Seraphim, et supra omnem sensum est: quia scriptum est: *Pax Christi supra omnem sensum est.* Quomodo non est supra omnem sensum tanta generatio? Tu ergo ori manum pone: scrutari non licet superna mysteria. Licet scire, quod natus sit, non licet discutere, quomodo natus sit. Hoc enim querere metus est. Ineffabilis enim est illa generatio: unde Isaias ait: *Generationem ejus quis enarrabit?* hæc humanum sensum et intelligentiam mundi excedit: hoc non capit humanæ intelligentiæ ratio, sed prudentiæ fidelis professio est. *Ambros. cont. hæc.*

4. Nato regi aurum offerimus, si in conspectu illius claritate supernæ sapientiæ respicimus. Thus offerimus, si cogitationes carnis per sancta orationum studia in ara cordis incendimus, ut suavi odore per cœlestis desiderium redolere valeamus. Myrrham offerimus, si carnis desideria per abstinentiam mortificamus. *Gregor. ho. 10. Cum natus esset Jesus in Bet.*

5. Cœli rege nato, rex terræ turbatus est, quia nimirum terrena altitudo confunditur, quum celsitudo cœlestis aperitur. *Greg. in ho.*

6. Cœli rege nato, angelorum chori in ejus annuntiatione prodeunt: hymnum dicunt, et devicta prævæ vitæ discordia, nos, quos dudum despexerant, cives agnoscunt, consono ore predicantes: *Gloria in excelsis Deo,* etc. ac si dicant: quos a vobis malitia disjunerat jam nunc in terra bonitas nata conjungat. *Gregor. 27. Moral.*

7. Fratres, generationem istam quis enarrabit? Angelus nuntiat, virtus obumbrat, subvenit spiritus, virgo credit, virgo parturit, virgo permanet. Quis non



miretur? Nascitur verbum infans, et agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. *Bern. super Cant.*

8. O nativitas illibata sanctitate, honorabilis mundo, amabilis hominibus collati magnitudine beneficii, investigabilis etiam angelis sacri profunditate mysterii, et in his omnibus admirabilis singulari excellentia novitatis: utpote, quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem. O partus sine dolore, solus nesciens pudoris, corruptionis ignarus, non referans, sed consecrans virginalis uteri templum. *Bern. in ser.*

9. Jesus Christus filius Dei nascitur in Bethleem Judæ, Jesus Salvator. Quid tam necessarium perdidit? quid tam optabile miseris? quid tam utile desperatis? *Ibidem.*

10. Numquid plus potuit Adam in malo, quam Christus in bono? Si ex Deo nati, in Christo electi sumus: quanam justitia est ut plus noceat humana atque terrena, quam valeat divina cœlestisque generatio? *Ber. de nova milit.*

11. Ubi aula regia? ubi thronus? ubi curiæ regalis frequentia? Numquid aula est stabulum? thronus præsepium? et totius curiæ frequentia Joseph et Maria. *Bern. in serm. de epipha.*

12. Numquid invenerunt palatium marmoribus splendidum? numquid aulam regiam diversis populis personantem? numquid hastatas sive clypeatas militum catervas? numquid equos regalibus phaleris insignes? numquid currus auro ostroque fulgentes? numquid matrem ejus diademate coronatam, aut in lecto eburneo recubentem? numquid puerum bisso et purpura involutum? Utique non, sed potius angustum et humile tugurium, vile squalidumque præsepium, et magis animalibus quam hominibus aptum: puerum vilibus pannis involutum matrem vix lunicam habentem unam, non ad ornatum corporis, sed ad tegumentum nuditatis. *Chrys. sup. Matth. 2. Intrantes domum inve. puerum.*

13. Non illius est filius fabri, quem putatis, sed

fabricatoris omnium, qui fabricatus est auroram et solem. Nonne dicendum filius fuit agricolæ, et tamen radix fuit stirpis regiæ? Cur ergo Christum propter parentum ignobilitatem contempnunt? *Chrys. super ill. Matth. 14. Nonne hic est faber fil.*

14. Adorant Magi in carne verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, et in hominis veritate dominum majestatis: ut sacramenta fidei suæ intelligentiæque manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur: thus pontifici, mirrhæ homini aurum offerunt Deo. *Leo papa in serm. apparit.*

15. Hæc stella numquam ante apparuit, quia numquam eam puer iste creavit, et Magis ad se venientibus præviam deputavit. *Fulgentius ad Prob.*

16. Generationem ejus quis enarrabit? Fratres, generatio Christi si enarrari non potest, si lingua deficit, fides proficit. Magnus enim profectus est fidei, quum tantum de Deo suo potest concipere, tantum sermo non potest parturire. *Maxim. in serm. de natali.*

17. Non mediocre tibi fidei hoc videatur exemplum: non vilis persona pastorum: certe quò vilior ad prudentiam, eo pretiosior ad fidem. Non sapientes, sed simplices, qui fucare audita nescirent, Dominus sui præcones elegit, non rhetores, sed piscatores ad evangelizandum destinavit. *Bed. super Luc. lib. 1.*

18. Cœternitatem suæ majestatis ostendit. Hodie enim aq̄ Deum nullo initio incepit, nullo fine concluditur: non enim ibi fuit vel erit: sed semper manet, semper est: et quidquid dixeris illi, hodie est. *Cass. super ill. psalm. Ego hodie genui te.*

19. Licet Deus cunctos dies creaverit, singulariter tamen hunc diem fecisse dicitur qui Christi Domini nativitate sacratus est: in quo merito exultari convenit et lætari, quoniam in eo et diabolus jus perdidit, et salutem mundus accepit. *Cass. super. ill. Psalm. Hæc est dies. etc.*

Vide etiam in tit. Christum, núm. 10, 27. in tit. Gaudium, núm. 19. in tit. Malitia, núm. 11, 12.